

O.U.H.G

110

Bibliotheca





Palatino
Düsseldor-
piensis




Bibliotheca Palatina









00/NW 122



O COR IESU EGO AMO TE;
NAM PRIUS TU AMASTI ME.


Hanc Imaginem in quoquinqu loco colentibus
Christus Singulares gratias promisit.
H.L.O. et B. Antion. Cöntgen. Sculp. Mag.

COMPENDIOSA RELATIO
DE
ORIGINE ET SCOPO PIETATIS
ERGA
SANCTISSIMUM
COR JESU
DOMINI NOSTRI
CUM ANNEXIS QUIBUSDAM PRECIBUS
LITANIIS ET OFFICIO
DE EODEM
SANCTISSIMO CORDE.
IN USUM
S E R E N I S S I M I
CAROLI PHILIPPI
ELECTORIS PALATINI
&c. &c.

MANNHEMII,
Ex Typographia Electorali Aulicâ Palatinâ Majeriana,
per Mathiam Oberholtzer. M DCC XXXVI.

COMPRENDIOSA RELATO
GREGORIO DE SANCTO PETERB
SANTO GREGORIO DE SANCTO PETERB
DODANI NOSTRI
CON AMORES OBLIVIAVM RECIBE
TRISTANIS ET ORATIO
DE SORORI
CONCESSIO CORDE
LAZARUS
PROPHETI
RECITATIONES
MANHES
TYPICIS LEGGENDIS VULGATE TESTIMONIIS
PER MARIAM OPUSCULIS M DCC XXXXII

1402 834 01



DEDICATIO

Ad Sanctissimum, & omni honore dignissimum Cor mei Domini JESUCHristi.



Uò me vertam, ignoro, Tuæne
ad Thronum Majestatis &
gloriæ, quâ regnas in Cœlo,
an ad solium tuæ humilitatis,
quod tuus erga nos amor in
Venerabili Sacramento Altaris erexit, ubi
tantò sublimior tibi cultus, tantóque ex-
celsior à nobis adoratio debetur, quantò
profundiùs in humilitatis abyssum te abiicis?
Quia tamen non nescio, Thronum gloriæ
tuæ in Cœlo innumeris, iisque devotissimis

adoratoribus cingi ; verto me potius, & mancipatum tibi me sisto ad solium humilitatis tuæ in Sacramento, ubi & à paucioribus ardenter amaris, & tepidè adoraris à pluribus.

Accipe ergo, ô delicium cordis mei ! ô divinum cor mei Domini JESU ! accipe hoc opusculum, soli tuæ gloriæ, & honori dedicatum. Unicus enim scopus ejus, & unicum meum desiderium est, ut hæc erga te pietas, cum ineunte hoc sæculo, in his locis enascens, sæculum faciat illâ Victoria & Triumpho illustre, quem Te, nempe cordium humanorum Regem de iis quam gloriosissimum obtinere par est.

Vive ergo & triumpha hoc sæculo, & in sæcula, ô benedictum cor, ô vita animæ meæ ! Triumpha & vive per tuum amorem in meo, & cunctorum mortalium cor-

de

de. Ex tuo enim amore posthac vitalem
halitum traham; & vicissim à Te, scilicet
Magnete cordis mei, me attrahi sinam ad
Te. Hæ flammæ tui amoris illuminent
meam caliginem, teporem accendant,
amorem sæculi exurant, & me pro dedi-
cato tibi holocausto totum absument. Te-
stes enim invoco Cœlum & Terram, quod
ultrà vivere non cupiam, nisi ut in humillimâ
subjectione adorem, ac venerer Te, ô The-
saure omnium Divinarum gratiarum: nec
aliud desiderem, quam ut in hac vita omni-
bus suspiriis & halationibus, post vitam verò
etiam singulis pulveribus mei cordis conte-
ster, quod vivam, & moriar tibi devotum

*O Divinissimum Cor mei Domini
I E S U*

Holocaustum NN.

PRÆ-



PRÆFATI O

Ad amantem Cordis JESU Lectorem.

Dicitur communi proverbio : Novitas delestat. Ingressu sæculi delectatus est orbis : & ego Cor Deum amantis Lectoris novâ pietate oblectare conabor, quæ ante pauculos annos revelata est Margarethæ à la Coque, Spiritu devotionis præstanti, & Ordinem Sanctimonialium professæ, cui à visitatione Deiparæ nomen est : Et in Galliis quidem usu celebri floret ea pietas ; his autem in Terris non admodum nota videtur. Ut ergo in publicam lucem, & plurium salubrem notitiam deveniat , hoc opusculum ex Gallico libro, qui de eâ

con-

conscriptus est, concinnavi, & germanico sermone expressi.

In his ergo foliolis, tanquam in brevi compendio, benevolus Lector originem dictæ pietatis, & justissimam suscipiendæ causam, variūmque modum exercendæ inveniet unā cum precibus nonnullis, & quibusdam devotionis exercitiis ad eam pertinentibus. Quibus acquiescere velit, & excitare cor suum ad ardenter Cordis JESU amorem, usque dum DEO volente, totus liber in publicum emittatur.

Interea benè age Lector, & quære solatium in hoc amantissimo Corde, ut cum tenero pietatis affectu dicere possis : Cor JESU, centrum cordis mei, & pars mea in æternum.

CA-

C A P U T I.

Origo Pietatis erga Cor J E S U.

Dmodum Reverendus Pater de la Colombiere, è Societate JESU, inter primos enumerari meretur, quorum operâ DEUS ad divulgandam Fidelibus hanc pietatem est usus. Magna erat in hoc magno DEI Famulo auctoritas, non tam quòd ageret Concionatorem Aulicum Reginæ Angliæ, in Galliâ nunc exulantis; quam quòd ipsa in Anglia resulserit gloriâ Confessorum Christi. Et additur pondus auctoritati ex eo, quòd cum eruditione eximiâ junctam haberet virtutem excellentem: ad cuius apicem summâmque perfectionem sine intermissione.

Hic ergo sicut, esse max Pietatis, & ne usum benefic gationis esse tique debitum cognitum, gruvat hic portatio Spiritus Londini, Cùm, inqu, cum magnicia absolvisse omni excogiti

I
7ESU

missione consequendam, uti se voto peculiari obstrinxerat; ita eam brevi spatio temporis cum omnium, etiam Hæreticorum admiratione consecutus est.

Hic ergo Vir tantæ auctoritatis censuit, esse maximam perfectionem hujuscce Pietatis, & necessitatem: & tanta per ejus usum beneficia à Deo impetravit, ut obligationis esse suæ putaret, tam divitem, totique debitum Orbi, sed pauculis usque eò cognitum, gratiarum Thesaurum evulgare. Juvat hīc ponere, quæ annotata reliquit in diario Spiritualium Exercitiorum, quæ fecit Londini, & post obitum viri sunt edita.

Cūm, inquit, hæc Exercitia Spiritualia, cum magna in Misericordiam Dei fiducia absolvissimè, hanc mihi legem posui, ut omni excogitabili via & modo promo-

B

verem

verem executionem illius , quod mihi à Summo Domino meo præscriptum est , concernens pretiosissimum corpus ejus in Sanctissimo Altaris Sacramento , ubi cum verè , & reipsa credo præsentem . Totus enim coelesti dulcedine perfusus (quam à Deo meo accepi & gustavi , et si exponere non possim) cognovi , velle Deum me sibi servire ad executionem , & impletionem sui desiderii de promovendâ per meam debilitatem pietate , quam ipse cuidam personæ , communicatione intimâ secum unitæ inspirâisset .

Ego jam illam in Anglia pluribus suasi : scripsi quoque de illâ in Galliam , & quendam amicorum meorum rogavi , ut eandem in loco , quem incolit , magni faciat æstimari . Erit enim utilissima , & magnus lectorum in eâ communitate animarum numer-

numerus mihi spem facit, ejus usum singulariter Deo gratum esse futurum.

O mi Deus ! quare non possum omnibus locis præsens adesse, & annunciare, quod ab amicis & famulis tuis exspectas ? Manifestavit se Deus huic personæ, de quâ justam credendi causam habemus, quòd vixerit secundum cor ejus, suadentibus id magnis gratiis, quas ab illo accepit. Illa manifestavit se mihi : Ego illi imposui, ut, quæ mihi dixisset, scripto comprehenderer : quod & volui referre in diarium meorum Spiritualium Exercitiorum ; quia Clemensissimus Deus, in executione hujus operis uti vult meâ tenui curâ.

Illa vero persona, de qua loquitur prædictus Pater de la Colombiere, fuit sublimi spiritu, dicta Margaretha à la Coque, Religiosa

ligiosa ex ordine , qui à visitatione Deiparæ cognominatur , & cum fama eximiæ Sanctitatis mortua est die decimo septimo Octobris , anno Salutis millesimo sexcentesimo nonagesimo , ætatis verò suæ quadragesimo secundo .

Cum die quâdam (scribit illuminata hæc anima) currentis octavæ de festivitate Corporis Christi , coram Sanctissimo Sacramento morarer , insolitas à Deo gratias in explicable ejus amoris accepi . Hoc ergo amore intimè commota , sentiebam in me anhelantissimum desiderium , reciprocum ei amorem reddendi . Tum ille ad me : Majorem mihi reddere amorem non potes , quam si effeceris , quod à te sæpè petivi . Interea mihi exhibens Divinum Cor suum , vide (dicebat) hoc cor , quod homines eo ardore amavit , ut ad illum ipsis probandum exi-

exinaniverit se , & consumperit. Pro eo
 verò ut hunc amorem agnoscant, & æsti-
 ment à maxima parte hominum non reci-
 pio nisi summam ingratitudinem per con-
 temptum, per irreverentiam, per sacrilegia:
 imò & per teponem, quo me in hoc Sacra-
 mento colunt etiam multi eorum, qui mihi
 consecrati , meoque servitio auctorati
 sunt. Quare peto à te, ut ille dies Veneris,
 qui octavam Festi Corporis mei proximè
 sequitur, velut in peculiare Festum pro ve-
 neratione mei Cordis dedicetur; ut sic vio-
 latio mei honoris per humilem deprecatio-
 nem refarciatur, & per susceptionem Sacræ
 Communionis aboleatur injuria & irreve-
 rentia, quæ facta est cordi meo, dum his
 diebus in Arâ expositum fuit. Et ego tibi
 polliceor, dilataturum se Cor meum, ut in
 omnes, qui hunc ei honorem præstabunt,
 copioso influxu divinum amorem infundat.

B 3

Quare

Quare verò, mi Domine (respondebam) te vertis ad me, creaturam adeò despicabilem, miserámque peccatricem, cuius indignitas impedimentum potius afferet executioni propositi tui? habes animas pro impletione consiliorum tuorum multò majoris animi & robustioris. Quid autem? reponebat Dominus, an nescis, quòd infirma mundi soleam eligere, ut confundam fortia? quódque in minimis, & minimâ sapientiâ præditis, Omnipotentiam meam evidentius ostendere soleam, ne suis viribus ipsi quicquam adscribant.

Suggere ergo mihi (dicebam) medium faciendi, quod mandas. Tum ille ad me: Sume refugium ad Servum meum N. & dic illi meo nomine, ut pro viribus suis laboret introducere hanc pietatem, & hoc beneplacitum Divino Cordi meo procurare:

re: útque nullis difficultatibus, quæ multæ exsurgent, se absterreri patiatur; sed cogitet, omnipotentem illum fieri, qui sibi diffidit, ut confidat mihi.

Admodum Reverendus ille Pater non temerè fidem talibus habebat; sed discreione maturâ ponderabat omnia. Ad hæc argumentis non levibus persuadebatur, tam sublimis & solidæ virtutis esse personam, quæ ei se manifestabat, ut phantasiis illusam pertimefcere non haberet. Ut verò tantò melius perfectiusque rem institueret, à se ipso fecit initium, neque solùm benedicto Cordi JESU se ipsum totum, sed omnia quoque, quæ illi grata esse censeret, obtulit, & consecravit. Et sensit in hoc oblationis affectu tam insolitæ gratiæ influxum, ut quamprimum in æstimatione hujus pietatis confirmaretur. Deinde, cùm medi-

meditaretur eam benevolentiam, quâ JESUS Dominus Noster in Sacramento Altaris erga nos fertur, uti cor ejus perpetuâ in homines charitate æstuat, sempérque ad effundendos gratiarum Thesauros apertum est. Cùmque vicissim animo dolente suspireret de horrendis blasphemiiis, quas tanto jam tempore, in eodem Sacramento sustinet à perfidiâ Hæreticorum, nec non de irreverentiâ & injuriis, quas â nonnullorum sæpè malitiâ Catholicorum perpetitur: de novo totum se obtulit Divino Cordi eâ formulâ orandi, quam oblationem sui ad COR JESU appellavit, quámque infrâ descriptam invenies.

Iter hujus servi Dei in Angliam, captivitas ejus, & brevitas temporis, quo post redditum in gallias vixit, non permiserunt, ut plura de hac re manifestaret. Sed nihilominus

ominis visum est Deo, non imperfectum
relinquere suum opus: quod sicut jam olim
D. Gertrudi revelavit ; ita præcipue his
postremis temporibus, ad excitandum te-
porem fidelium, reservasse videtur, utendo
in hunc finem libello, sine omni propemo-
dum studio, methodo, & arte conscripto :
& inspirando eandem pietatem personis,
quæ cum vix ipsæ gustassent, & antè, quam
solidè quicquam de ea inaudivissent, jam
promulgare videbantur , & ubique dif-
fundere.

Sic igitur anni unius intervallo, visa est
haec pietas velocissimè introducta. Magnæ
Sapientiæ Magistri Spirituales , Doctores,
& Prælati, illustribus encomiis eam exor-
nârunt, & Concionatores ē Cathedris ma-
gno eam fructu proposuerunt. Sacella in
hon-

C

honorem Divini Cordis exstructa. Sculptæ
pictæque ejus imagines : Altaria erecta.
Sanctimoniales de Visitatione sui Funda-
toris Sancti Francisci Salesii Spiritu ani-
matæ , ut primæ in hac devotione , ita
Zelosissimæ videntur fuisse. Nam exhi-
laratæ sunt eo gaudio, ut in suo Divio-
nensi Sacello , quod gloriæ Divini Cor-
dis ædificatum est, compositam de eo Mis-
sam, solenni cantu celebratam audiverint.
Quarum exemplum Religiosæ plures aliæ
Virgines secutæ sunt. Totam exinde Gal-
liam admirando cum fructu pervasit cor-
dialis hæc pietas, aliisque in Regna se se ex-
tendit, ad extremum usque orientem, per
Missionarios , ut creditur , propagata.
Postremò judicium multorum Virorum,
Virtute, & meritis præstantium, qui ean-
dem in pretio habuerunt, spem optimam
facit,

facit , futurum , ut ejus affectu posthac
 Dominus JESUS in oblivionem Christiano-
 rum minus veniat , ferventiore Zelo
 colatur , & ardentiūs
 ametur.





C A P U T I I.

*Motivum ad exercendam Pietatem
erga Cor JESU.*

SIcut Sanctitas & meritum nostrorum operum ex motivo & Spiritu, quo fiunt; nascitur, sic pietas erga Cor JESU, quantumcunque bonitatis in se ipsâ sit, utilitatis exiguae foret, nisi ex bono motivo, & in bono spiritu exercita, suum inde pretium acciperet. Motivum verò, sicut jam diximus, illud est, ut, quantum fieri potest, amore, adoratione, & subjectione nostrâ compensemus indignitates, & injurias, quas Dominus JESUS in Sacramento Altaris, & passus est hucusque plurimas, & in diem (prô dolor) hodiernum adhuc multas patitur. Hoc inquam

inquam spiritu, sive hac intentione utendum est iis affectibus, affectibusque devotionis, qui paulò postfuggerentur, ut ergò hæc animis nostris, immisque sensibus vivaciùs imprimantur, consideremus attentè, quo modo Christus JESUS in Sacramento agat nobiscum, & vice versa, quomodo à nobis cum ipso agatur.

Meditemur (si tamen capere possumus) illud ejus desiderium, quo cœlicam nobis hanc alimoniam offert; & ex opposito nauseam, atque temorem cogitemus, quo nos eandem suscipimus. Si est incomprehensibilis, & omnem mensuram modumque excedit ejus in hoc Mysterio Charitas nunquid illa vicissim ingratitudo, qua sic amantem excipimus, omni pariter mensurâ & modo carere dicenda est? Si positum fuisset in arbitrio nostro, eligere & petere à

Domino JESU aliquod evidens ejus erga
nos amoris indicium, an in mentem venire
alicui potuisset tam sancta prodigalitas,
sive tam prodiga sui ipsius, suique cor-
poris & sanguinis elargitio? vel si forte in
mentem venisset, an ad eam postulandam
audacia cuiquam & animus suppetivisset?
suo igitur incomprehensibili desiderio sti-
mulatus, elegit hanc viam declarandi amo-
ris, & in Sacramento Altaris, suum corpus
& sanguinem, sequi, quantus est, totum
donavit, & si quid pretiosius majusque ha-
bere posset, omne daturus. Non eum de-
formitas loci a se donando absterret, non
hominis accipientis miseria prohibet, non
discrimen temporis pronitatem donandi
moratur. Et tam cordata nihilominus be-
nevolentia, tam profusa liberalitas, tam pro-
digia charitas ejus, ab ingratitudine morta-
lium se se tueri non potest.

Prima

Prima communio, quam Salvator in ultima Cœna distribuit, dehonorata est tam horrendo Sacrilegio, & tam atrocibus injuriis Judæ proditoris, ut non nisi ab inferis excogitatæ videantur. Postea verò non tantum in Altaribus denegatus est debitus Salvatori respectus, ipséque velut Theatricus quidam in ridiculâ Deitate Rex habitus. Non tantum Ecclesiæ, quas nostri amore inhabitat, & Altaria, in quibus pro mundi salute in dies rursum se immolat, diruta, vastata, flammis absumpta Non tantum sacra vasa, quorum continuus in hac immolatione, aut Missæ Sacrificio usus fuit, direpta, conflata. Sed ipsum quoque Divinissimum Corpus ejus, sub specie sacrarum hostiarum abditum, in terram projectum, pedibus calcatum, & (quod ipsi dæmones exhorrescerent) millenis iætibus, non quidem in se, sed in sacris speciebus

bus transfixum & convulnératum. Neque tamen hanc rabiem furentium mitigavit sanguineus liquor , qui prodigiosè nonnunquam indè profluxit ; sed potius ita accendit, ut jam dentibus sacram hostiam morsicarent, jam flammis injicerent, jam turpibus bestiis vorandam ingererent, quasi sacrilegæ manus eorum, & scelerata pectora , ad hanc ignominiam Sufficientia non essent. Denique ad horrifica dictu , & cogitatu fœda maleficia iisdem hostiis abusi sunt.

Mi JESU ! mi DEUS ! quām atrocia hīc pateris ? Sola, Sola tantarum ignominiarum cogitatio me dat in stuporem. Vide, mi homo, quo usque hominem sua in illum ingratitudo deduxerit. Profectò non hominem invenies , ita despectum & horridum, ut ignominiosius possit tractari. Non latro-

latronem invenies , cuius te miseratio non tangeret , si ad hunc modum videres esse tractatum . Noster ergo Salvator is erit , cuius in tam atroce despectu in insensibiles petras obdurescamus ? Tantamne duritiem eo promeruit , quod tanto nos excessu amaverit ? Si culpa sit (ignosce verbo , mi Deus) quod nimirum nos charitate dilexeris : *Ephes. 2. v. 4.* Tu reus es hujus culpæ . Quid autem ? an excessus ille hic amoris illorum in te odium concitet , qui intelligere nolunt , quo eos excessu amaveris ? An ille excessus occasionem illis præbeat oblivisciendi te , tuæque præsentiaæ nullum honorem exhibendi , aut non Sentiendi , quæ tibi dedecora & injuriaæ hic inferantur ? Negari quidem non potest , potissimum partem dictorum Sacrilegiorum , & abominabilium despectuum ab heterodoxis committi : Sed , ô dilecte Salvator ! quam multos etiam est

D

repe-

reperire Catholicos, qui nec honestius tecum, nec reverentiū agant ! An non similia scelera propè quotidie in Sacra templa se penetrant ? Et nescio quidem, quis Dominum impietate majore & ingratitudine offendat, hæreticūsne, qui violat templa nostra, in quibus illum verè præsentem non credit ; an verò Catholicus, qui credit, & nihilominus tanta cum irreverentia præsenti afflitit ?

Relationibus rerum novarum se multi
oblectant penè ad pedem Altaris, & propudiolas in fabulas (si ad confusionem horum temporum licet dicere) impiaque colloquia se se effundunt. Major in oculis honesti alicujus viri, quam in præsentia Christi modestia servatur : quodque in liberis domi non toleraretur, in Templis permittitur. Ornamenta Altarium an decore & pretio
ad

ad vestimenta Fidelium accedunt ? mitte oculos in quasdam Ecclesias, & videbis eorum neglectu, quorum curæ commissæ sunt, minùs nitère, quàm mediocrum Suppelætilia Dominorum. Sacrificio Missæ assistitur, quasi profano comoedorum spectaculo, nisi quòd in exhibitione spectaculi major attentio usurpetur, quàm in oblatione Divini Sacrificii. Et postquam fortassè momento flexum fuerit unum genu (ut non ex ignorantia neque ex defectu fidei natam hanc irreverentiam appareat) ignavè sedetur, aut statur, & protervè garritur. Atque hæc est devotio, & reciprocus ille amor , scilicet , quem summus Amator JESUS, à plerisque Christianorum reportat.

De Sacerdotibus quid proferemus ?
Dignitate sublimis officii coeteros è præcellunt

cellunt, quòd obligentur ex munere suo,
proximiūs cum Christo ad aras versari, &
intimiore cum eo amicitiā ac familiaritate
conjungi. An dicere de iis licebit, quòd
cum æquales propè sint Angelis, & vi Sacer-
dotii propè majores, huic celsitudini statūs
suam vitam, morésque conforment? Sunt
quidem per gratiam Christi à Laicis turbis
Fidelium discreti: an autem se ipsos excel-
sitate virtutum, vivæ fidei præsertim, à
quorundam tempore Laicorum secernunt?
Egregiè scilicet. Quidam cùm pretiosum
Domini corpus in manibus habent, vix ali-
ter agunt, quām quasi ridiculo quodam in-
strumento, nescio quos motus in aëre fa-
cerent, quásve inanes ceremonias repre-
sentarent. Et sicut animi eorum sub immo-
latione Divinæ Hostiæ mero tempore frige-
scunt, ita destinatum Sacrificio tempus in-
decorâ festinatione corripiunt. Utinam non
aliquan-

aliquando quidam ex flagranti crimine ad Aram accurrerent, atque ad perpetratiōnem alterius ab Arā properarent. Hoc affir- mari potest, Sacrificium Missæ à quibus- dam pro tali officio haberī, cuius additcenda sit deproperatio, & celebratio ex frigidâ consuetudine, sine attentione celerrimè ab- solvenda. Non magis ii moventur à con- tactu corporis Christi, quàm apertione Missalis; & hac insensibilitate, tepore, ne- gligentiâ clarè demonstrant vilipensionem Sanctissimi Sacramenti, aut minimum eam, in qua miseri vivunt, cæcitatem.

Ab his Christi Vicariis, sive Sacerdoti- bus oculos si convertamus ad Laicum po- pulum, non inferiores causas videbimus deplorandæ ingratitudinis, & frigidæ fidei nostræ. Plurimos quidem videre est, qui frequenter ad Eucharistiæ sumptionem ac-

D 3

cedant;

cedant ; sed in eorum numero quām multos est cernere , qui Domino suo cum debitâ perfectione non serviant ! ut interim nihil de exiguo fructu dicatur, quem ē mysterio tam salutari percipiunt ; cuius & indicium & causa est, exigua, aut nulla tum ad sumptionem præparatio, tum in ipsa sumptione devotio.

Atque huic despectui, quem JESUS patitur ab iis, qui sic ejus amore frigescunt, adjungi meritò potest illorum tepiditas, qui sæcularium rerum amori se amorem Domini JESU in Religiosis Ordinibus substituisse profitentur. Nulla visitatio cele- riùs absolvitur , quām quæ Christo in Sa- cramento altaris præstatur. Sæpè ab iis in templum , quasi in domesticum conclave intratur , coram illo consistit , quasi co- ram mutâ, & mortuâ imagine staretur. Et hic

hic irreverentiâ plenus status, hæc evagatio
oculorum, hæc reliqua incompositæ men-
tis dissolutio, nonne pro argumento est,
visitationem illam, quam Domino præstant,
non esse, nisi quandam modicæ fidei simu-
lationem.

Ecce ô Domine ! sic agnoscimus, sic
compensamus tibi illud omnium maxi-
mum, quæ à Te innumera accepimus, be-
neficiarum. Iterum ergò dicamus : minùs
malè nos JЕsum in Sacramento tractare-
mus , si ille nos minùs ardenter in eo ama-
ret , aut si apertius suam in illo Majestatem
ostenderet , aut denique , si eos , à quibus
ita despicitur , prælente poenâ mulctaret.
His modis profectò majorem suæ Majesta-
tis honorem , timorémque ab ingratis mor-
talibus extorqueret. At JЕsum ista decer-
nere non patitur suus amor. Quaslibet im-
pieta-

pietas patientius tolerat, quam vel unam sibi dilectam animam a se alienet. Atque ita injurias, quas ab indignè Sacramentum tractantibus accipit, proprio quasi præfert honori, ut eos accedendi fiduciâ non privet, quos poenæ severitas abterrere valeret.

Quæ quidem omnia, si nullum sensum commovent in animis nostris, quo tandem motivo durities nostra mollescet? subinde ad miserationem movemur, si peregrinus quispiam aut ignotus cum aliquâ ferociâ & inhumanitate excipiatur; vel notus aliquis, aut amicus miseriâ & calamitate prematur. Solus est JESUS, ad cuius injurias nullo sensu miserationis & Zeli movemur. Hunc solum ubique terrarum & gentium, in Divinissimo Sacramento despectum, illusum, in honore, ac reverentiâ læsum, vultu & animo immoto

immoto videmus. Et nunquid hæc ei contingunt, quia nos nimiâ, & metas egressâ charitate dilexit? hic ipse ergò excessus amoris eorum corda, quos ita amavit, refrigeret? Quare, si quis sensus humanus in nobis supereft, qui fieri potest, ut (nisi fortè nos ipsi eorum in numero simus) hanc hominum ingratitudinem, impietatem, & sui Benefactoris oblivionem videntibus non deficiat animus, nec cor contabescat? Nonne omnes indagandæ nobis sunt viæ, omnésque modi per vestigandi, quibus efficiatur, ut adoratione humillimâ & ardentissimo amore, cultûque debito illatas ei in Eucharistiâ injurias compensemus?

Ecclesia quidem ad hunc finem instituit Solennissimam Festivitatem! quâ Supplicationem dicit, & glorioso velut in triumpho Sanctissimum nostri Domini Cor-

E

pus

pus circumfert , & sequente octiduo Fidelium Venerationi exponit. Sed haec ipsa Festivitas an non aliquibus nova irreverentiae, despectus, & injuriarum est occasio ? quare amantissimus nostri Salvator sextam Feriam, quae proxima est Octavæ Corporis Christi, in alteram quasi festivitatem elegit, quam benedictum & amabile cor ejus veros adoratores desiderat , & inquirit. Prior festivitas est pretiosi ejus Corporis, haec altera benedicti Cordis , in illa priori triumphet amor, quem erga nos habet ; in alterâ triumphet amor ; quem nos illi debemus. In illa priore nos Ecclesia docet, quo usque nos JESUS amaverit : in alterâ nos coram coelo , & terrâ protestemur , quam sinceritate JESUM redamemus. Quisquis ergo desiderat cum teneritudine & fervore Christum amare, summâ cum devotione & sollicitudine colat hanc solennitatem Divini

vini Cordis ; elegit enim hunc cultum pro signo , quo singulares , & amore magnanimo sibi cohærentes amicos discernit à tepidis , & in speciem solum amantibus . Sic autem eam coli desiderat , ut intimo dolore contriti , deprecentur , & abolere nitan- tur , quidquid honori , & gloriæ Sanctissimi Sacramenti contrarium , à quovis hominum genere commissum est , tum pro in- dicio sui amoris , & agnitionis hunc integrum diem ei dedicent , consecréntque .

Atque hæc sunt , quæ de exercitio hu- jus pietatis sentire debemus . Hoc est illud motivum , quod nos impellere debet ad dignè suscipiendam hac die Venerabilem Eu- charistiam , ad visitandam devotè atque a- dorandam , aliisque virtutum operibus ritè colendam ; Si nobis in animo est , singula- ribus illis (quæ hanc pietatem comitantur) gratiis & donis copiosè perfundi .



C' A P U T I I I.

Exercitium Pietatis erga Cor JESU.

§. I.

PRO SINGULIS ANNIS.

ANNUÈ celebrabitur Festum Cordis JE-
su, die Veneris post Octavam Cor-
poris Christi : inchoabitur autem Festivi-
tas post secundas Vesperas ejusdem octavæ.
Tum primò poterit breviter aliquid rerum
ad hanc pietatem spectantium legi : deinde
plusculum temporis in humilem veneratio-
nem Sanctissimi Sacramenti impendi, oran-
do coram illo, & inter alias preces recitan-
do Officium, Litanias, Rosariolum, de Di-
vinissimo Corde. Post hæc, devota mo-
destia,

destia, & interna collectio, tanquam utilissima ad crastinam festivitatem dispositio, servanda. Priusquam nocturna quies capiatur, consultum est, breviter ad memoriam revocare Motivum festivitatis, & desiderium excitare, totâ nocte (si fieri posset) excubandi ad pedem Altaris, quod nostro loco, ut faciat Angelus custos, invitari poterit. Si evigilare noctu contigerit, suspiria ad JESUM in Sacramento præsentem mittantur. Tum exortæ dici matutinum tempus omne consecretur venerationi atque adorationi Cordis JESU in Eucharistia, coeterorum & minus utilium negotiorum curâ in alias horas sepositâ, ne quod minutum temporis adeò salutaris, absque suo fructu elabatur. Cum lectus deseritur, procumbatur in genua, & præsens in Eucharistia Dominus adoretur, omniaque honori & gloriæ Cordis ejus offerantur, in

recognitionem amoris & beneficiorum ab eo perceptorum : Quibus hæc bona sors obtigit , ut suis in domibus Venerabile Sacramentum asservetur (ut fermè in omnibus cœnobiis Religiosorum) festinabunt ad visitationem illius , ut poterunt . Confessio Sacramentalis cum perfectiore , quàm aliàs , contritione peragatur , ex consideratione ingratitudinis & irreverentiae nostræ , quarum se se his diebus in confessione nominatim accusare , non foret abs re .

Tandem præparatio adsumptionem Sacramenti quàm diligentissima instituatur . Profunditas reverentiae , quâ in oculis JEsu comparebis , manifestè probabit desiderium tuum satisfaciendi pro defectibus reverentiae à te ipso commissis : Flagrantia amoris , teneritudo pietatis , vivacitas fidei pariter indicabunt desiderium tuum resinciendi tempore

porem , infidelitatem , & irreverentiam
 quorundam aliorum communicantium. In-
 timo demum dolore contritus , quòd vi-
 deas tuum JEsum in Sacramento tam fri-
 gide amatum , tam indignè tractatum , su-
 scipies illum tanquam iratum Deum , quem
 hoc opere placare nitaris ; suscipies illum
 tanquam rejectum Salvatorem , quem hoc
 opere coneris revocare : suscipies illum tan-
 quam relictum Sponsum , cui hoc opere
 animas reducere , & novo Zelo amoris de-
 sponsare moliaris. Inter hos inquam , & si-
 miles teneri amoris affectus , cum gravi
 modestiâ & humilitate ad Eucharisticam
 Mensam accumbes. Et quoniam amor in
 hoc opere partem potissimam agit , suus
 cuique amor affectus & operationes dicta-
 bit , huic tempori convenientes.

Sacra communione suscepta , tuam &
 omnium hominum ingratitudinem cum
 infi-

infinito Christi amore comparans, humili-
ter procide ad pedes ejus, & exquisita cum
pietate veniam ab illo postula: quod tamen
animo magis & interno affectu, quam ore
& verbis agendum, nam verba sensuum
animi & affectuum externa tantum indi-
cia sunt. Tum elice affectum oblationis,
quò plenè te consecres Divino Cordi, &
in magna quiete, animique collectione re-
liquum diei tempus exige. Ante meri-
diem si non omnes saltem plerasque horas
variis bonorum Operum (ut pietas tibi di-
ctabit) exercitiis, amori præsertim Do-
mini JESU impende.

Sub Vesperum instituatur meditatio
de hac materiâ, aut si negotia non sinerent,
saltem attentè legatur. Repetatur quo-
que vel Officium, vel Litaniæ, vel Rosario-
lum de Corde JESU, vel aliis modis amor
erga

erga illum declaretur quemadmodum Religiosis concessum est , in domesticis Templis aut Sacellis asservare Christum in Sacramento præsentem, ita illis præcipuè incumbit, eidem hac die ad servitia assistere , & quidquid liberi temporis habebunt, iisdem impendere. Qui verò in Sæculo degunt, & ipsi plusculum, quam soleant, temporis in præsentia Sacramenti consumant. Et his quidem pariter ut illis consulitur, ut extraordinaria cum devotione minimum quinques illud visitent, si per negotia & occasionem licebit.

In prima Visitatione agantur Domino JEsu gratiæ pro infinito amore, quo incomprehensibile hoc Mysterium instituit.

In secunda iterum gratiæ agantur pro datâ veniâ illud tam frequenter sumendi,

F

&

& pro singularibus donis ex eo in nos redundantibus.

In tertia deprecemur omnes injurias, quas ab hæreticis & infidelibus in eo patitur.

In quarta compensare nitamur irreverentiam, impietatem, & Sacrilegia, quæ à multis etiam Catholicis in eo sustinet.

In quinta complectamur cogitatione omnia omnium civitatum, oppidorum, pagorum templo, & in iis præsentem quidem in Eucharistia JESUM, sed rarissime visitatum, in adoratione neglectum, & indecorè habitum revereamur, & adoremus.

Sicut autem amor in JESUM præcipius horum affectuum auctor motörque est, ita diversis aliarum opera virtutum exercenda proponit, quibus se Domino suo magis

magis magisque probent. Quidam enim civitatis Ecclesias, ubi Venerabilis Eucharistia asservatur, vel omnes, vel aliquas devotè visitant. Quidam constituunt certō numerō pauperes, ut sacram communio nem suscipiant, eösque tum eleemosinā impertient, aut cibis reficiunt. Quidam variā mortificationum asperitate corpus affligunt. Omnium cura, ac studium est, ut vivâ fide, ardente Zelo, flagrantēque amore hæc exequantur.

§. II.

PRO QUOLIBET MENSE.

PRimus dies Veneris, in quolibet Mense occurrens, dedicetur cultui Cordis JESU. Ipse enim JESUS Religiosæ Margarethæ à la Coque, ut in ipsius vita referuntur, specialiter mandavit, ut eo die se sacra

Communione reficeret. Coli autem dies poterit eadem intentione & modo , quo ipsa Festivitas annua. Unde consultum est ea relegere , quæ de hac modò præscripta sunt. Renoventur itaque pari cum devotione Sacra menta Confessionis , & Communionis. Fiat deprecatione admissæ in prioribus irreverentiæ. Fiat oblatione sui perfectæ ad Serviendum Divino Cordi. Visitetur quinques (si occasio est) Sanctissimum Sacramentum. Modestia , & interna animi collectio servetur. Charitas in proximum cum charitate in Christum jungatur. Et hujus Charitatis impulsu , quilibet huic pictati addictus peculiari studio orabit pro iis , quos idem amor arctissimè in Corde JESU univit. Et quidem Sacerdotes si fuerint , quolibet mense semel pro iisdem , & numero eorum augendo Divinum Sacrificium offerent : & coeteri , qui Sacerdotes

dotes non sunt, Sacræ Communioni eandem intentionem præfigent. Qua re (præterquam quòd proprium inde meritum augent) hoc etiam efficient, ut quemadmodum ipsi pro aliis orant, ita vicissim alii virtute & amore Christi præstantes quam plurimi, orent pro ipsis. Denique hæ preces & opera sunt extendenda ad animas defunctorum in Purgatorio, eorum præcipue, qui dum viverent, huic pietati addicti fuerunt.

§. III.

PRO QUALIBET SEPTIMANA.

ITerum dies Veneris in qualibet Septimanâ convenientissimus erit, ad colendum dulce Cor IESU : Cùm enim ipse nobis hoc die maxima sui amoris argumenta præbuerit, cur ei non paria redhibere conemur ? præsertim cùm satis ostenderit summopere

sibi placere, si Venerationi Cordis ejus decidetur hic dies, Matutinis ergò in precibus omnia, quæ reliquo die facturi sumus, ei devotè offeramus, & satagamus sollicitè, ut omnia bene, & ex Virtute faciamus. Specialiter ex desiderio resarcendi injurias Sanctissimo Sacramento illatas, & probandi suum erga illud amorem, Sacerdotes offerent Divinam hostiam, coeteri eandem suscipient, aut minimum solito devotius assistent Sacrificio, & Spiritualiter ad eandem intentionem communicabunt. Nemo autem à sequentibus tribus punctis se excusabit.

I. Magnum quisque dolorem & contritionem excitet, quod Dominus noster in ipsomet Sacramento amoris ita detur oblationi à multis, tam tepidè redimetur, & tam indignè tractetur.

II.

II. Sæpius hoc die, & majore cum sensu pietatis Venerabile Sacramentum , vel re ipsâ, si fieri potest, vel saltem in spiritu & desiderio visitetur, ad resarcendam multorum pro ejus institutione ingratitudinem.

III. Quædam opera mortificationis , tam interna quam externa, eâdem intentione peragantur : Officium quoque, aut Litaniæ de Corde JESU , aut aliæ preces dicantur.

§. IV.

PRO QUOLIBET DIE.

Postremò , ut cuilibet Anno , Mensi , Hebdomadæ assignata est sua devotio erga Cor JESU Domini nostri, sic sua quoque in singulos dies est assignanda.

Et horæ quidem matutinæ huic rei aptillimæ sunt ; quare, cum de strato surrexeris

xeris multorum exemplo Sanctorum, te
converte ad proximum ædibus templum,
quodque in eo asservatur Venerabile Sacra-
mentum, submissâ reverentiâ, & vivâ fide
adora, elice affectum amoris, debitæque
pro ejus institutione gratitudinis, dole ex
animo, quod dignè honoretur à paucis, à
multis etiam indignè tractetur, & statue in
animo tuo, illud quam citissimè poteris vi-
sitare, & semper amare. Denique funde
oratiunculam ad Cor tui Salvatoris, & pro-
testare, quod omnia ad ejus honorem &
gloriam facturus sis.

Deinde cùm Sacrificio Missæ interfue-
ris, tum maximè huic pietati incumbe.
Nihil autem hic nominatim præscribitur,
quia cuilibet suus amor erga JESUM sugge-
ret convenientes affectus. Viva etiam fi-
des unicuique piam modestiam sub Sacri-
ficio

ficio persuadebit. Utile quoque erit, cum plenâ sui oblatione Spiritualiter communicare & gratiarum actionem pro institutione tanti Mysterii non omittere.

Pomeridiano tempore, quo paucissimi solent JEsum in mente & cogitationibus habere, illumve invisere, conveniens est, ut qui Venerationi Cordis ejus se addixerunt, illud in Sacramento Altaris, aut re aut mente aliquando invisant.

Vespere ante quietem adora benedictum Cor tui Salvatoris, & illud intuere ut locum refugii, in quo securè sis pernoctaturus. Gratias age pro institutione Venerabilis Eucharistiae : elice actum contritionis & amoris erga Deum ; qui tanto te amore amplexus est.

G

Addisce

Addisce hunc modum incumbendi à S. Aloysio Gonzaga, qui se quieti daturus, ter dicta salutatione Angelicâ, se Cordi, & protectioni Virginis Dei Matris commendabat. Tum versus illam partem Ecclesiæ, ubi repositum erat Venerabile Sacramentum, profundissima genu flexione illud adorabat, petens à Corde JESU, ut sicut illud toti Ecclesiæ, & iis præsertim, à quibus tenerè amatur, invigilat, ita se quoque ab insidiis hostium animæ suæ protegeret. Tum protestabatur, velle se in hoc Corde quiescere, dicens: in pace in id ipsum, hoc est, in te summo bono, dormiam, & requiescam.



§. V.

M E D I T A T I O

Pro Festivitate Cordis JESU.

P U N C T U M I .

De inexplicabili desiderio, quod habet JESUS,
inter nos, & nobiscum versandi.

Considera, quòd dulcissimum Cor tui
Redemptoris vix in Utero Virgineæ
Matris efformatum fuerit, & mox immen-
sâ Generis humani charitate flagraverit.
Sicut autem proprium amantis est, velle
ei, quem amat, semper adesse : sic anni
tres & triginta, quibus inter nos vixit,
arcti & breves ei videbantur, ad explen-
dum illud insatiabile desiderium semper a-
pud nos permanendi. Huic ergò satis ut
faceret, miraculorum omnium suorum

maximum perpetravit. Temporis enim nullo termino circumscribens amorem ait Apostolis : nolite contristari de meo , à vobis, discessu per Ascensionem in Cœlos, nam ego manere apud vos ardentius desidero, quām vos retinere me cupiatis : ideoque dum homines in terris supererunt, non subtraham iis præsentiam meam. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem Sæculi : *Matth. 28. 20.* Finem habent motiva, quibus impulsus est Dei Filius , ut humana se carne vestiret, & consummatum est opus redemptionis nostræ. Ut ergo in Eucharistia, quæ prodigium amoris est , & prodigiorum omnium compendium, maneat nobiscum usque ad consummationem sæculi, impellitur ab insatiabili desiderio ita nobiscum versandi , ut jam separare se quodammodo à nobis non possit.

Ascen-

Ascendit Dominus noster in Cœlos ad Patrem: quid igitur invisibili modo in Terras quotidie redit? Nonne quòd agglutinatus amore hominibus sit, & eos deserere nequeat? quis imaginari sibi hunc excessum amoris potuisset, quòd collocatus in Throno Cœlestis Gloriæ, nihilominus anhelet divertere ad corda nostra, quasi defectum in felicitate sentiret, nisi nobis, & modo quidem tam admirabili aedesset? ô anhelum profectò ardénsque desiderium, quod usque adeò in coelis (ubi omnia desideria infinitate gaudiorum satiantur)expleri non potest! ô incomprehensibilem nostri Salvatoris amorem, quòd immensitate gloriæ suæ quasi non contentus, in altaria se nostra quotidie occulto, & humili modo deponat, ut veracitatem illius ostendat, qui ejus nomine dixit: Deliciæ meæ esse cum Filiis hominum:

Prov. 8. 31.

PUNCTUM II.

De immenso desiderio, quod habet JESUS,
sua bona nobiscum communicandi.

Considera, quod sicut JESUS origo est omnium bonorum, sic apud nos ideò manere voluerit, ut ex die in diem nos suis Thesauris ditaret. Nec illa tantum dona, quorum origo est, in Sacrosancto Mysterio nobis impertit; verum etiam semet ipsum, qui est omnium origo, communicat.

Ego ostendam tibi omne bonum, ait ipse: *Exod. 33. 19.* Quid autem hoc sit, & ubi ostendatur, innuit Propheta: *Zach. 9. 17.* Quid bonum ejus, nisi frumentum Electorum, id est Dominus JESUS sub specie frumenti panisve absconditus? Reges & Principes Terræ, non nisi certis temporis

poribus , certisque personis exhibent suam liberalitatem : Rex Regum , & Principum Princeps JESUS , in Eucharistia , liberum omnibus omni tempore concedit aditum , quin & venire tardantes suavissime invitat : *Matth. II. 28.* Venite ad me omnes , qui laboratis , & onerati estis . Quid gratius , quid jucundius accidere potest iis , qui labore temptationum & onere calamitatum premuntur , quam invitari ad aditum , & gratos ad eum venire , qui omnium bonorum atque gratiarum origo est ? Venite ad me omnes &c.

Et hic tantae bonitatis DEUS , ut consulat infirmitatibus nostris , se totum in alimoniam nobis largitur , cuius efficacia & recuperentur vires amissae , & infirmitates quaecunque sanentur . Venite ad me omnes & ego reficiam vos , ait , quasi identidem

dem ex Altari diceret unicuique nostrūm :
 quid ploras ? quid de amissione sanitatis ,
 liberorum , & fortunarum tristaris ? nun-
 quid hæc omnia , & multò plura habes in
 me reperire ? ita non satis est amori hujus
 Domini referare Cor suum , & omnem gra-
 tiam ac benedictionem ex eo profundere ;
 sed insuper semeptipsum pro tutelâ & cly-
 peo adversùs hostilia tela nobis apponit .
 Parâsti in conspectu meo mensam adversùs
 eos , qui tribulant me : *Psalm. 22. 5.* Quid
 autem pretiosius , quid majus se ipso dare
 potest optimus JEsus ? quomodò non etiam
 cum illo omnia nobis donavit . *Rom. 8. 32.*

PUNCTUM III.

De incomparabili desiderio , quod habet
 JEsus , uniendi se nobiscum .

Considera , quòd unio Cordium sit ulti-
 ma operatio amoris , & quòd Dominus
 JEsus

JEsus illam per institutionem Venerabilis Sacramenti quæsiverit. Ut enim exerceat hanc operationem veri Amatoris, & cum humanis cordibus se uniat , exit quodammodo à se ipso, ut in illis, tanquam unus idémque cum ipsis vivat. Mysterium unitatis nostræ in hac mensâ consecravit, ait Sanctus Augustinus. Perfectissimè se quidem DEI Filius in Incarnatione cum naturâ nostrâ univit : hæc unio tamen non fuit unicus assumptæ humanitatis scopus, sicut unio Sacramentalis est scopus instituti tam admirandi Mysterii. Nam in unione cum nostrâ naturâ passibile corpus assumpsit, ut mortem pateretur, & hominem patiendo redimeret : in institutione autem Venerabilis Sacramenti se ipsum cuicunque communicanti largitur , eique se intimè per modum cibi commiscet, ut plenè cum eo se uniat. Et desiderio quidem hujus unionis,

H

nis,

nis, ad sumendum hunc cibum tum istâ nos promissione invitat: Venite ad me omnes, & ego reficiam vos : tum istâ comminatione impellit: *Ioan. 6. 54.* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis , non habebitis vitam in vobis : tum etiam quasi violentiâ quadâm amicâ tracturus præcipit servo suo, *Luc. 14. 23.* compelle, intrare convivas ad coenam, quam iis paravi. Denique nihil omittit, quo in nobis desiderium excitet, veniendi ad Eucharisticum ejus convivium, atque ita implendi desiderium ejus veniendi ad nos, & intimè nobiscum se se uniendi.


Quæ clarior ardenterissimi amoris probatio unquam potuit excogitari ? Verùm ô Domine JESU ! itáne oblitus es omnium injuriarum, quas ab hominibus in hac vita perpeccus es ? itáne fortassis non sat prævidisti

vidisti, quorū te ille excessus amoris in
hoc Sacramento deducat? gratissima tibi
quidem habitatio est in Corde Zelosæ, &
castæ animæ, quot verò tandem illarum
in humano genere invenies? An numero-
sissimam tepentium Christianorum copiam
tolerare potes, qui te fide semimortuâ, &
turpissimo corde suscipiunt? Hæc quidem
sunt impedimenta ab ingressu Cordis ab-
stinentia Hospitem, omnis impuritatis oso-
rem. Vehementia tamen & redundantia
amoris ejus hæc omnia vincit. Meditare,
si potes, & animo attento considera, quòd
justum odium, quo DEUS peccata profe-
quitur, sit quidem infinitum, sed tamen
quodammodo minùs aut potiùs cedens infi-
nito ejus desiderio veniendi ad nos: dum
inter sacrilegia suscipi ab indignè commu-
nicantibus non refugit, ne se deliciis ab-
dicet, quas ex unione cum diligentibus

se, dignéque communicantibus Animabus
percipit.

En quo excessu Salvator in hoc vene-
rando Mysterio te amet. Non modo tibi
nunc dicit, quod olim Abrahæ: *Gen. 15. 1.*
Ego merces tua magna nimis : sed etiam
(ô prodigium obstupescendum) Caro mea
verè est Cibus, & Sanguis meus verè est
Potus. *Ioan. 6. 56.* ô miraculum amo-
ris , capacitate cuiuslibet intellectus creati
longè superius ! ô liberalitatem quâ JESUS
Dominus noster exinanivit se ipsum , &
exhausit ! Hoc tenero , & prodigioso erga
te amore æstuat DEUS tuus , & tu
reciproco in illum amore
frigeas ?

SE-



SELECTÆ PRECES

*Quæ effundi possunt ad amabile Cor
JESU Christi.*

Salutatio matutina B. Mechtildis ad Cor
JESU.

Laudo, adoro, & saluto Te ô dulcissimum & floridissimum Cor JESU Christi: ô melliflue gratiarum fons, ex quo omne bonum, & omne gaudium in cœlo, & in terra manavit, & sine fine manabit. Ex totis viribus mei Cordis tibi gratias ago, quod tam fideliter hac nocte me custodiveris, & amantissimum Deum meum pro me laudaveris, amaveris, honoraveris, & ei gratias egeris. Et nunc ô DEUS, & unicus

amor meus! nunc offero tibi pauper & miserum cor meum pro oblatione matutinâ, & quantâ fiduciâ possum commendô, immervo, & includo illud mellifluo Cordi tuo, ut tu illud hac die ab omni malo custodias, tuâ gratiâ perfundas, & tanto amore Tui accendas, ut te ex die in diem magis, magisque diligere possit in Sæcula, Amen.

COMMENDATIO PROPRII CORDIS IN COR JESU.

Ante nocturnam quietem.

O Dulce Cor JESU Christi ! ô suavissima requies omnium te amantium animarum ! Tibi hac nocte commendô cor meum, animam meam, & corpus meum; ut ea custodias ab omni periculo, ab impunitate, & insidiis hostium. O mellifluum Cor Salvatoris ! ô dulcissimum Ter-Sanctæ Trinitatis Organum ! te humiliter obsevero,

cro, ut quoniam ipse DEUM laudare quiescens non potero, Tu meo loco id facias : & quoties cor meum in pectore meo hac nocte movebitur , toties non semel, sed centies millies Sanctissimam Trinitatem pro me glorifices , ac benedicas , omnemque halitum , quem hac nocte tracturus sum, in te suscipias , Amen.

DEPRECATIO AD COR JESU,

Quæ coram Venerabili Sacramento fieri potest die Veneris post Octavam Festi de Corpore Christi,
 & iterum primo die Veneris in quolibet Mensa
 post Sacram Communionem.

Gloriosissime & amabilissime JESU, qui semper ardes amore nostri, semper miseriæ compateris, sempérque gratiam largiri desideras, & totum Te nobis donare. Mi JESU ! mi DEUS & Salvator, qui ex nimiâ tuæ charitatis abundantia Holocauſtum

stum te facis in Venerabili Sacramento, & millies in quemlibet diem æterno Patri Te offers. O Christe JESU ! quid in hoc Sacramentali statu sentit animus tuus, dum pro tanto amore & gratia in plerorumque Christianorum cordibus, non nisi duritiem, oblivionem , ingratitudinem & contemptum experiris ? ô Divine Salvator ! cur Tibi satis non fuit eligere viam strictissimam solius Redemptionis & salutis nostræ, absque eo, quod tam pretioso Sacramento, tuum inexplicabilem erga nos amorem contestareris ? cur satis non fuit, semel in horribilem cum morte agoniam descendere, & illam lethalem necessitatem subire, cui te horrenda peccatorum nostrorum (quæ in Te susceperas) multitudo, & gravitas subjecit ? quid ultrà in singulos dies tam multiplici irreverentiæ te exponis, quâ Te hominum dæmonumque scelerata malitia

litia in Sacramento lacessere non intermit-
tit ? ô mi DEus ! mi amande Salvator !
quis ergo fuit sensus benedicti Cordis tui,
in prævisione tantæ ingratitudinis , tanto-
rūmque peccatorum ? quanta nunc amari-
tudine impletur Cor tuum ê sensu tot in-
juriarum & sacrilegiorum ?

Summo igitur harum injuriarum do-
lore commotus, in abyssum mei nihil me
abiiciens procido tibi ad genua , & in con-
spectu Cœli ac Terræ, cum profundissima
humilitate deprecor omnes despectus &
indignitates, quæ tibi in Altaribus nostris,
â prima institutione sanctissimi Sacramenti
sunt irrogatæ. Millies, & iterum millies in
Spiritu humilitatis, & in animo contrito,
illarum veniam â Te peto. O mi DEus !
ô Domine JESU ! cur lacrymis meis per-
fundere, & sanguine meo abluere non pos-
sum

sum omnia loca , in quibus amabile Cor
tuum tam horrendè despектum , Divinús-
que tuus amor tam abominandè contem-
ptus est ? cur non est in viribus meis , ut
novo genere subjectionis , humilitatis , &
adorationis compensem omnes profanatio-
nes & sacrilegia , quibus honor venerandi
Sacramenti violatus est ? Si quis mihi hoc
daret , ut unico saltem momento essem Do-
minus omnium humanorum Cordium ,
omnia Tibi in viictimas & holocausta offer-
rem , ad satis-faciendum pro oblivione &
duritiâ eorum , qui Te in hoc tremendo
Mysterio agnoscere nolunt , aut si agnove-
rint , pro debito amare non curant .

Verùm ô dilectissime JEsu ! hoc fa-
ciem meam extremo pudore confundit ,
hoc mihi amarissima ex corde suspiria ex-
torquet , quòd ego ipse in numero istorum
in-

ingratorum fuerim. Summe Deus ! cui
 soli perspecta sunt intima cordis mei, Tu
 nōsti, quām doleam de ingratitudine meā :
 Tu nōsti, quām angustietur, & conteratur
 animus meus de injuriis tuis : Tu nōsti
 eam, quam nunc inspirāsti, voluntatem fa-
 ciendi & patiendi omnia , ut resarciatur,
 quidquid in tuo honore & amore negle-
 etum est. Vide Domine, hic ante te pro-
 cido cum humili, & contrito corde, para-
 tissimus omnia de tua manu suscipere, quæ-
 cunque tuæ voluntati placuerint. In com-
 pensationem tot injuriarum percute me
 Domine, & percute, ut vis : & ego per-
 cutientem, justæque poenæ incumbentem
 illam tuam dexteram benedicam , & exo-
 sculabor. Me miserum , quòd non sim
 sufficiens Holocaustum ad compensandas
 tot injurias tuas ! me miserum , quòd san-
 guine & lacrymis meis lavare non possum

omnia loca, ubi sanctissimum Corpus tuum
in terrâ raptatum, pedibusque calcatum est?
ô quanta mihi felicitas eveniret, si om-
nium, quæ excogitari possunt, tolerantia
tormentorum, horribiles illas injurias, de-
spectus, & impietas abolere possem! si
verò non promereor hanc gratiam, suscipe
saltem, ô benignissime JESU, hoc bonæ vo-
luntatis meæ desiderium.

Quamobrem, ô Pater æterne, noli
rejicere hanc humilem deprecationem me-
am, quam Tibi offero in unione illarum
deprecationum, quas in monte Calvariæ
Tibi obtulit benedictum Cor Filii Tui in
cruce pendens, & cruci assistens miseri-
cordissima Mater ejus Maria. Harum in-
tuitu & merito deprecationum ignosce
omnem indignitatem & irreverentiam in
Divinissimum Sacramentum admissam:
& auxilio tuæ gratiæ redde efficax proposi-
tum

tum meæ voluntatis, quo seriò statui, nihil posthac intermittere, ut omni excogitabili via ac modo ardentissimè diligam & honorem Filium tuum, meum Dominum, Salvatorem, ac Judicem, quem in venerando Altaris Mysterio verè præsentem agnosco, ubi posthac per demississimam reverentiam, & indefessum eidem serviendi studium, toti mundo testabor, quàm seriò me obligaverim venerari dulcissimum Cor ejus, in quo & reliquum vitæ meæ tempus consumere decrevi. Fruar ergo illâ, quam unicè à te peto, gratiâ, ut in hora mortis meæ extreum spiritum in hoc Corde emittam.
Amen.

AFFECTUS ANIMÆ

Cordi JEsu se consecrantis.

O Gloriosissimum Cor mei JEsu ! ô divina virtutum omnium sedes, & inde-

ficiens gratiarum fons! quid tandem in me
reperisti dignum, aut capax infiniti tui amo-
ris, cùm meo in corde, innumeris pecca-
tis onusto , nil nisi duritiem & tepidita-
tem offenderis. Cùm ergo me manifesta
indicia convincant, quòd etiam tum, cùm
te non amarem , incomprehensibili amore
prosecutus me sis ; concipio spem & fidu-
ciam, quòd animo & vultu placido con-
specturus sis ea indicia, quibus nunc meum
erga te amorem probare contendeo. Aspi-
ce ergo benigne Salvator, aspice hoc fer-
ventissimum desiderium , quo flagrat ani-
ma mea, se totam venerationi & gloriæ,
tui benedicti Cordis offerendi. Placeat
benignis oculis tuis, quam tibi nunc facio,
mei ipsius, & omnium, quæ in me sunt,
plena oblatio. En offero tibi personam
meam , vitam & opera , difficultates, ad-
versa, dolores : posthac enim non cupio
vive-

vivere, nisi perpetuum holocaustum gloriæ tuæ, nunc quidem incensum, tum autem in obitu meo amoris tui flammâ consumptum. Sic offero tibi Domine DEUS, cor meum cum omnibus bonis affectibus, quorum capax est : nam aliud non quæro, quam ducere vitam affectibus tui Cordis conformem.

Nunc supereft, ô dilecte Redemptor, ut me doceas perfectam oblivionem, aut abnegationem mei ipsius, quæ sola nobis aditum in cor tuum potest aperire. Et quia deinceps nihil facturus sum, nisi quod tuum sit, adjuva meam infirmitatem, ut faciam nihil, nisi quod te dignum sit. Doce modum, quo ad puritatem tui amoris perveniam : imò da mihi purum, ferventem, & magnanimum Tui amorem. Da profundissimam humilitatem, sine quâ tibi placere

cere nemo potest. I mple postremò in me
tuam Sanctissimam voluntatem , tam in
hoc tempore, quàm in æternitate, Amen.

OBLATIO SUI AD COR JESU,

Quam fecit Admodum Reverendus Pater
de la Colombiere.

IN compensationem tam multiplicis in-
juriæ, & horrendæ ingratitudinis, ô dulce
Cor JEsu , & ad evitandam, quantum in
me est, ejusmodi culpam, offero Tibi cor
meum cum omnibus bonis motibus, quo-
rum capax est.

Dono me Tibi totum, quantus sum:
& ex hoc momento cordatè protector,
quòd me & omnia ad me pertinentia pe-
nitùs oblivisci velim , ut tollam impedi-
menta, quæ ab introitu Cordis tui me pro-
hibere

hibere possunt ; quod tantà bonitate mihi
aperuisti, & in quod ingredi ardenter deside-
ro, ut in eo cum fidelissimis tuis servis vivam
& moriar. Itaque tui amore confixus, &
inflammatus, offero tibi omnia merita, &
satisfactio[n]es, omnia Sacrificia, & preces,
omnia bona opera & mortificationes, om-
nes affectus , actus puritatis , obedientiæ,
& aliarum Virtutum, quas usque ad extre-
mum vitæ terminum exerciturus sum.
Offero hæc omnia non tantùm ut benedi-
ctum Cor JESU, & admirabiles ejus dispo-
sitiones adorem, ac venerer ; sed etiam ut
humiliter ab eo petam, velit oblationem,
quam facio, benignè suscipere , pro bene
placito suo disponere, & pro quibus libue-
rit , acceptare. Et sicut animabus Fide-
lium in purgatorio detentis ex integro cef-
si, quidquid in meis operibus aptum est
Divinæ justitiæ satisfacere : ita desidero, &

K

con-

constituo, ut eis dispensetur pro beneplacito Divini Cordis JESU. Quæ tamen ordinatio mea non impediet, quò minùs satisfaciam obligationi meæ orandi, & sacrificandi pro aliis, præsertim si obedientia præscripferit, aut exegerit charitas, aut indigentes quidam, meique fratres id postulaverint. Quia verò tum etiam usuruum bono, ad me non pertinente, desidero quoque, ut obedientia, charitas, & aliæ virtutes, quas exercitus sum, in his occasionibus Cordi JESU perfectè & integrè transcribantur: ex illo enim vires haurio ad eas exercendas, ideoque illi sine exceptione debentur.

O super benedictum Cor JESU, doce me perfectam oblivionem mei ipsius, quâ ad puritatem tui amoris perveniam, cuius Tu mihi desiderium inspirâsti. Pronam

nam in me voluntatem sentio tibi placendi;
 simul autem & magnam debilitatem agno-
 sco id re ipsa præstandi absque singulari au-
 xilio & magna illuminatione , quam à ne-
 mine, præterquam à te, exspectare habeo.
 O Domine ! perfice in me tuam sanctissi-
 mam voluntatem. Doleo quidem, quòd
 eam subinde non sequar ; Sed tamen te ad-
 juvante facere vellem. In tua ergo ô Divi-
 num Cor , confisus potentia , quâ omnia
 potes, tua nixus bonitate, quâ clementissi-
 simè mihi faves, & tuo suffultus ardenti de-
 siderio, quo æternam meam salutem cupis,
 humillimè rogo, ut id semper agam perfe-
 ctissimè , quo tua tendit sanctissima
 voluntas, quia in hoc erit
 gloria tua.

ACTUS ADORATIONIS,
AD COR JESU.

MI DEUS, & Domine JESU Christe,
quem verè & substantialiter in Sacra-
mento Altaris præsentem esse credo, &
confiteor: suscipe hunc actum profundissimæ
adorationis, pro impletione deside-
riorum, quæ habeo, ut semper in eo ado-
reris; & in gratiarum actionem pro iis affe-
ctibus charitatis, quos tuum illud benedi-
ctum Cor per omnem vitam mortalem in
terris elicuit, aut modò in Cœlis adhuc eli-
cit, eliciéisque in sempiternum: ut iisdem
& ego Te adorem, diligam, & benedicam,
quantum possibile est in reliqua mea vita.
Exaudi me Domine, & aperi mihi hoc
Divinissimum Cor, erit enim imposterum
locus refugii, & quietis meæ, Amen.

ACTUS

2

AC.

ACTUS CONTRITIONIS, AD COR JESU.

O Maxime Salvator, & optime DEUS,
 cuius amore, & dolore sanctum Cor
 perfectissimè pro totius mundi peccatis
 contritum est! ô cur ego non sentio eun-
 dem dolorem, quem meis quoque pecca-
 tis in eo concitavi: obsecro Te, ut illâ tuâ
 contritione suppleas defectum meæ. Im-
 prime cordi meo timorem & abominatio-
 nem vel minimæ offendæ tuæ. Immuta,
 & renova illud miserum cor meum ad for-
 mam tui benedicti Cordis quod est infini-
 tæ munditiæ, & Sanctitatis, & amoris erga
 tuum Cœlestem Patrem: protestor enim
 quòd imposterum amare nil velim, nisi
 quod ab illo amatur; & viciissim omnia re-
 spuere, quæ illi displicant, Amen.

OBLATIO CORDIS JESU,
Quæ fieri potest sub Sacrificio Missæ.

PATER æTERNE, placeat Tibi benedictum
Cor dilecti Filii tui JESU Christi, quod
Tibi offero, sicut illud se ipsum Tibi in Ho-
locaustum obtulit. Suscipe a me & pro
me omnia desideria, affectus, motusque hu-
jus Sancti Cordis, quos mihi sumo ut meos,
nam ab illo pro me sunt oblati. Mei sunt,
& posthac non alios desidero, quam qui
illius sint. Suscipe illos igitur in plenam sa-
tisfactionem pro omnibus peccatis meis, &
in gratiarum actionem pro omnibus mihi
collatis beneficiis. Suscipe illos ad impe-
trationem omnium mihi necessariorum
gratiarum, præsertim finalis in exitu vitæ.
Suscipe illos denique ut actus amoris, ado-
rationis, & laudis, quos offero Majestati
tuæ, quæ solùm ab hoc Corde dignè coli-
tur,

tur, amatur, & glorificatur. Quoniam per ipsum, & cum ipso, & in ipso est Tibi DEO Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria.

QUOTIDIANA ORATIO S. GERTRUDIS AD COR JESU.

SAluto Te ô benedictum Cor JESU, ô vive, & vivifice fons æternæ vitæ, ô inæstimabilis Theslaure Deitatis, & ardentissima fornax Divini amoris ! Tu locus es quietis, & refugii mei. O amabilis Salvator ! incende cor meum illo igne amoris, quo tuum arsit, funde in cor meum illas gratias, quarum origo est tuum. Fac, ut cor meum sic uniatur cum tuo, ut tua voluntas mea sit, & mea æternum tuæ subjecta unitaque permaneat. Non enim aliud volo, quam ut sanctissima tua voluntas

tas sit regula voluntatis meæ, omniúmque
operum meorum, Amen.

ACTUS AMORIS.

Nihil habeo, mi pretiose Salvator : nihil
habeo, quod tibi possit placere : nihil
possum : nihil sum. Tantum habeo cor,
& satis habeo. Auferri mihi quidem po-
terit valetudo, fama, vitaque ipsa : solum
cor mihi à nemine auferetur. Cor habeo,
& hoc corde possum Te, ô bone JESU,
amare, hoc corde Te amare volo : & so-
lum ideo, mi Deus, amare Te volo, ut
semper magis magisque Te amem, Amen.

LITANIAE DE CORDE JESU.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe

Miserere nobis.

Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus,
Fili Redemptor Mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu Filii æterni Patris,
Cor Jesu Filii Virginæ Matris,
Cor Jesu Sacrarium Dei,
Cor Jesu Sanctuarium Domini,
Cor Jesu domus Dei, & porta Cœli,
Cor Jesu sedes Divinæ Majestatis,
Cor Jesu, in quo reconditi sunt omnes
Thesauri Sapientiæ,
Cor Jesu, in quo habitat plenitudo Dei-
tatis,
Cor Jesu desiderium collium æterno-
rum;
Cor Jesu pascens inter lilia,
Cor Jesu inexhauribilis thesaure,

L

Cor

Cor Jesu divitiae omnium Te invocan-
 tum,
 Cor Jesu , de cuius plenitudine omnes
 accepimus,
 Cor Jesu vita , & resurrectio nostra,
 Cor Jesu pax , & reconciliatio nostra,
 Cor Jesu fons saliens in vitam æternam,
 Cor Jesu fons aquarum viventium,
 Cor Jesu , in quo Pater sibi complacet,
 Cor Jesu viva , sancta , Deo placens
 hostia,
 Cor Jesu propitiatio peccatorum no-
 strorum,
 Cor Jesu pro nobis amaritudine reple-
 tum,
 Cor Jesu oppropriis satiatum,
 Cor Jesu propter peccata nostra con-
 tristatum,
 Cor Jesu lanceâ apertum,
 Cor Jesu agni immaculati,

Miserere nobis.

Cor

Cor Jesu fons omnis solatii,
 Cor Jesu refugium nostrum in tribu-
 latione,
 Cor Jesu Altare Seraphinorum,
 Cor Jesu fornax Divini amoris,
 Cor Jesu paradise voluptatis,
 Cor Jesu Thesaure Cordium,
 Cor Jesu Salus in te sperantium,
 Cor Jesu spes morientium,
 Cor Jesu gaudium Mariæ Virginis,
 Cor Jesu lætitia Sanctorum omnium,
 Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,
 parce nobis Domine.
 Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,
 exaudi nos Domine.
 Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,
 miserere nobis.
 Christe audi nos.
 Christe exaudi nos.

Miserere nobis.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Vers. O JESU mitis & humilis Corde;

Resp. Tuo Cordi conforma cor meum.

O R E M U S .

TE supplices imploramus , omnipotens
 & misericors Deus respice ad cor tibi
 placentis unigeniti tui: & propter angustias,
 quas amore nostri in sua passione sustinuit,
 nobis concede, te corde contrito diligenti-
 bus , remissionem omnium peccatorum :
 & corda nostra tanto igne tui amoris ac-
 cende, ut secundum cor ejus vivere valea-
 mus , qui tecum , & cum Spiritu Sancto
 vivit & regnat unus Deus in Sæcula Sæcu-
 lorum , Amen.

R 211e

L 3

LITA-

LITANIÆ AC COR DEIPARÆ VIRGINIS.

KYrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus,

Fili Redemptor mundi Deus,

Spiritus Sancte Deus,

Sancta Trinitas unus Deus,

Cor Mariæ semper immaculatum,

Cor Mariæ gratiâ plenum,

Cor Mariæ inter corda benedictum,

Mariæ Cor purissimum,

Mariæ Cor mitissimum,

Mariæ Cor humillimum,

Cor Mariæ Arca Sanctissimæ Trinitatis,

Cor Mariæ Tabernaculum Incarnati

Dei,

Miser.nobis.

Ora pro nobis.

Cor

Cor Mariæ in visitatione novis gratiis
 ornatum,
 Cor Mariæ novem mensibus à cohabiti-
 tante Jesu amore inflammatum,
 Cor Mariæ in partu Salvatoris gaudi-
 exultans,
 Cor Mariæ in purificatione gladio do-
 loris transfixum,
 Cor Mariæ per inventionem Filii in
 templo lætificatum,
 Cor Mariæ cum tristi Filio in horto
 contristatum,
 Cor Mariæ in flagellatione Filii dila-
 ceratum,
 Cor Mariæ iisdem cum Filio spinis
 confixum,
 Cor Mariæ cum Filio crucem bajulan-
 te gravatum,
 Cor Mariæ cum crucifixo Filio cruci-
 fixum,

Ora pro nobis.

Cor

Cor Mariæ patienti Filio compassum,
Cor Mariæ cum sepulto Filio conse-
pultum,

Cor Mariæ cum resurgente Filio redi-
vivum,

Cor Mariæ in ascensione Filii dilatatum,
Cor Mariæ in descensu Spiritū Sancti
de novo sanctificatum,

Cor Mariæ in assumptione super om-
nes Sanctos elevatum,

Cor Mariæ ad dextram Filii collocatum
Cor Mariæ solatium afflitorum,

Cor Mariæ refugium peccatorum,
Cor Mariæ fiducia morientium.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,
parce nobis Domine.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,
exaudi nos Domine.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.

Ora pro nobis.

Christe

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.


Vers. Dignare me laudare te Virgo Sacrata:

Resp. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

O R E M U S .

SAncta Maria, Mater Domini nostri JEsu Christi, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum despicias; respice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc merita & laudes tui sancti & immaculati Cordis, devoto affectu recolo, æternæ in futuro beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat, in Trinitate perfecta, Deus in Sæcula Sæculorum, Amen.

OFFI-



OFFICIUM

De Sanctissimo

COR DE JESU.

AD MATUTINUM.

Vers. Ardens amore mei Cor Jesu,

Resp. Accende Cor meum amore tui.

Domine labia mea aperies;

Et os meum annunciat laudem tuam.

Deus in adjutorium meum intende:

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in Principio, & nunc, & semper

& in Sæcula Sæculorum, Amen. Alleluja.

M

HYM-

H Y M N U S.

QUi Cœli thronum deseris,
 Ut illo nos reponas:
 Et pro Salute miseris
 In pretium Te donas :
O Christe flamma Cordium,
 Accende me amore:
 Ut mente purâ sordium,
 Puróque dicam ore:
Tu Jesu , qui Cor Patris es,
 Tu meum Cor gubernas:
Ut illud nullâ turbet res,
 In Sæcla sempiterna.

A N T I P H O N A.

O Sacrosanctum , & voluntati Patris semper obediens Cor JEsu , trahe ad Te corda nostra , ut , quod Tibi est placitum , semper faciamus .

MYH

M

Verf.

Vers. Paratum Cor meum, ô Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam:

Resp. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

O R E M U S.

TE supplices imploramus , omnipotens & misericors Deus ; respice ad cor tibi placentis unigeniti tui: & propter angustias, quas amore nostri in sua Passione sustinuit, concede nobis te corde contrito diligenter remissionem omnium peccatorum : & corda nostra tanto igne Divini amoris accende , ut secundum cor ejus vivere valeamus, qui Tecum, & cum Spiritu Sancto vivit, & regnat unus Deus in Sæcula Sæculorum , Amen.

AD PRIMAM.

Vers. Ardens amore mei Cor JESU:

Resp. Accende cor meum amore tu*ī*.

Deus in adjutorium meum intende:

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

H Y M N U S.

O Cor, amoris victima,

Et gaudium Cœlorum,

Mortalium fiducia,

Solamen miserorum!

Tu Trinitatis Gloria:

Te Filius assumpsit:

Te Pater suâ gratiâ,

Et Spiritus excompsit.

O JESU, qui Cor Patris es,

Tu meum cor gubernas:

Ut illud nulla turbet res,

In Sæcla sempiterna.

AN.

ANTIPHONA.

O Sacrosanctum , & semper sitiens salutem animarum nostrarum Cor JEsu: flammâ tui amoris consume peccata nostra , ne aliquando in iis moriamur.

Vers. Paratum cor meum , ô Deus cordis mei , ut faciat voluntatem tuam :

Resp. Deus meus volui , & legem tuam in medio cordis mei .

OREMUS.

TE supplices imploramus &c.

AD TERTIAM.

Vers. Ardens amore meî Cor Jesu :

Resp. Accende cor meum amore tui .

Deus in adjutorium meum intende :

Domine ad adjuvandum me festina .

Gloria Patri , & Filio , &c.

HYMNUS.

O Sole Cor illustrius,
 Sereniúsque stellis,
 Tu nostris ê pectoribus
 Caliginem depellis.
Te Spiritus artifice
 Potentiâ formavit,
 Purissimo de Sanguine,
 Quem Virgo ministravit.
O JESU, qui Cor Patris es,
 Tu meum Cor gubernas:
 Ut illud nulla turbet res
 In Sæcla sempiterna.

ANTIPHONA.

O Sacrosanctum, & illibatâ puritate reful-
 gens Cor JESU: concede Cordibus no-
 stris gratiam castæ puritatis, ut in iis tua for-
 ma resplendeat.

Vers.

Vers. Paratum cor meum, ô Deus cordis mei, ut faciat voluntatem tuam:

Resp. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

O R E M U S.

TE supplices imploramus &c.

A D S E X T A M.

Vers. Ardens amore meî Cor JEsu:

Resp. Accende cor meum amore tui.

Deus in adjutorium meum intende:

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

H Y M N U S.

O Dulce Cor ! ô nimio
Amore sauciatum !

Tu sustine me, nimio
Timore consternatum.

Cùm

Cum justi furor Numinis

In impios tonabit :

Me tuus favor Judicis

Ab ira vindicabit.

O JESU, qui Cor Patris es,

Tu meum cor gubernas :

Ut illud nulla turbet res,

In Sæcla sempiterna.

ANTIPHONA.

O Sacrosanctum, & inimicis semper placabile Cor JESU : exultet pax tua in cordibus nostris ; ut inimicis, & persecutoribus nostris ex animo ignoscamus.

Vers. Paratum Cor meum, ô Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam :

Resp. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS.

TE supplices imploramus, &c.

AD

AD NONAM.

Vers. Ardens amore mei Cor JESU:

Resp. Accende Cor meum amore tui.

Deus in adjutorium meum intende:

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

H Y M N U S.

O Cor occlusum, cordibus

Te amor reseravit:

Et tuis amatoribus

Introitum paravit.

Nunc illud nobis exhibe

In habitationem:

Perpetuamque tribue

In eo mansionem.

O JESU, qui Cor Patris es,

Tu meum cor gubernas:

Ut illud nulla turbet res,

In Sæcla sempiterna.

N

AN-

ANTIPHONA.

O Sacroſanctum, & in doloribus ſemper
patiens Cor Iefu: tribue nobis humilita-
tem, & mansuetudinem Cordis, ut dignos
patientiae fructus feramus.

Vers. Paratum Cor meum, ô Deus Cor-
dis mei, ut faciam voluntatem tuam:

Reſp. Deus meus volui, & legem tuam
in medio Cordis mei.

OREMUS.

TE supplices imploramus &c.

AD VESPERAS.

Vers. Ardens amore mei Cor Iefu:

Reſp. Accende Cor meum amore tui.

Deus in adjutorium meum intende:

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYM-

H Y M N U S.

Convivium mirabile
 Et carnis , & crux,
 Apposuit amabile
 Cor JEsu Salvatoris.
 His pascimur sub specie
 Velatis peregrinâ :
 O quando sine tegmine
 Nos pascet lux Divina !
 O JEsu , qui Cor Patris es,
 Tu meum cor gubernâ :
 Ut illud nulla turbet res,
 In Sæcla sempiterna.

A N T I P H O N A.

O Sacrosanctum , & fluxarum opum con-
 temnens Cor JEsu , pone Te ut signa-
 culum super cor nostrum , ut nullibi sit , nisi
 in Te , unico & sempiterno Thesauro no-
 stro .

N 2

Vers.

Vers. Paratum Cor meum, ô Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam:

Resp. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

O R E M U S.

TE supplices imploramus &c.

AD COMPLETORIUM.

Vers. Ardens amore mei Cor JEsu:

Resp. Accende cor meum amore tui.

Deus in adjutorium meum intende:

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

H Y M N U S.

O Cordiale prælum!

O mutuos ardores!

Cùm Virginis Cor Filium

Raptaret in amores.

Cor

Cor ille Matris Spiculo

Amoris configebat:

Et illa rursum Filio

Par telum immittebat.

O JESU, qui COR Patris es,

Tu meum cor gubernas:

Ut illud nulla turbet res

In Sæcla sempiterna.

ANTIPHONA.

O Sacro sanctum, & bonitate ac clemenciam plenum Cor JESU: igne tui amoris absume, quicquid in cordibus nostris terrenum est: ut solus JESUS sit Deus cordium nostrorum, & pars nostra in æternum.

Vers. Paratum cor meum Deus, ut faciam voluntatem tuam:

Resp. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS.

TE supplices imploramus &c.

N 3

RO-



ROSARIOLUM. AD COR JESU.

*Complectens quinque majora, & triginta
tria minora Granula.*

Loco Symboli dicitur:

A Nima Christi sanctifica me.

Corpus Christi Salva me.

Sanguis Christi inebria me.

Aqua lateris Christi lava me.

Paſſio Christi conforta me.

O bone JEſu exaudi me.

Intra vulnera tua abſconde me.

In Corde tuo include me.

Ne permittas me ſeparari à te.

Ab hoſte maligno defende me.

In

In hora mortis meæ voca me.
 Et jube me venire ad te,
 Ut cum Sanctis tuis laudem te,
 In Sæcula. Amen.

Ad quodlibet Granum majus.

Dulcis JESU, da gratiam, ut cor meum
 sit secundum cor tuum,

Adoramus te in horto contristate, & in
 Sacramento Altaris à pluribus despecte:
 quoniam tu solus sanctus, tu solus Do-
 minus, tu solus altissimus JESU Christe.

Ad Granula minora.

Adoro Te, ô sanctissimum Cor JESU:
 accende cor meum illo igne divini amoris,
 quo semper arsisti.

AD

AD FINEM ROSARIO LI
ORATIO.

Domine JEsu, qui ut hominum corda ad te pertraheres, ineffabili prodigo amoris cor tuum eis in cibum dedisti: Clementer exaudi nos humiliter supplicantes, ut omnia nobis peccata remittas, qui ingratis tudenem, despectum, & injurias hominum in hoc Mysterio tibi illatas deflemus, & debitum amorem exhibere conamur. Accende quoque corda nostra tui cordis igne, ut dignè te semper amemus, & glorificemus,
 qui cum Patre, & Spiritu Sancto
 vivis & regnas unus Deus in
 Sæcula Sæculorum.
 Amen.

IN.



INDEFICIENS
AMOR ET LAUS
DIVINI CORDIS JESU.

Hoc est:

*BREVIS, ET EFFICAX MODUS
COR CHRISTI QVOVIS MOMENTO
LAUDANDI ET AMANDI.*

Notum est, humano Cordi proprium esse, dies noctesque sine intermissione moveri, atque ad pectus pulsare, sicut absque intermissione movetur perpendiculum in horologiis. Sive enim vigilet homo, aut dormiat, sive indulgeat otio, aut quid operis faciat, dum eum vita non deserit, non desinit etiam pulsus aut motio cordis: idque in arteriis extremi brachii ad carpum potissimum

O

simè

simè sentitur. Et quanquam istorum pulsuum numerus exactè definiri non possit; perspicuum est tamen, quòd spatio unius quadrantis ad quingentos excurrant; subinde ad sexcentos; ad septingentos, etiam ad octingentos, & in quibusdam hominibus usque adeò ad millenos. Quo numero admisso, unius horæ motiones essent quater millenæ; totius autem diei & noctis mil- lenæ; sexcies & nonagesies. Magnus profectò numerus pulsuum: & quamvis non summo rigore semper, & in unoquoque ho- mine adimpleatur; detrimenti tamen haud exigui foret, omnes otiosè & sine fructu aut lucro elabi. Sic ergo ex iis lucrum spi- rituale quæremus, ut per eos in quævis momenra Cor JESU laudemus, amemus.

Præmittendum verò est, quòd sit in ar- bitrio nostro instituere signa ad placitum, quorum vi & representatione quasi iterum dici-

dicimus, & ex conventione mutuâ renova-
mus memoriam illarum rerum, quæ alteri
anteâ diximus. Hoc igitur modo possu-
mus omnes motus pulsûsque Cordium no-
strorum instituere pro signis, iisque hanc
significationem (ex conventione vel pacto
cum Corde JEsu inito) imponere, ut quilibet
illorum, in omniscio illo Corde hunc
affectionem nostræ voluntatis quasi repeatat,
& de novo proponat: Ametur, Laudetur,
& Glorificetur amabile & venerandum Cor
mei Domini JEsu.

PROCIDE ERGO IN GENUA ET DIC MENTE ATQUE ORE.

O Amabile Cor JEsu ! ô Cor mei cordis !
Ego licet indignissimus omnium crea-
turarum, desiderio tamen impulsus amandi
Te semper, & laudandi, quia id quovis mo-

mento præstare non possum, nisi per institutionem signorum, semper manentium, nunc ita tecum paciscor, & animitus volo, ut ab hoc die usque in crastinum, imò usque ad ultimum vitæ momentum, omnes & singulæ motiones Cordis mei, cum pulsibus arteriarum, sint mera signa amoris, & laudis ; & tantum apud Te valeant, quantum hæc verba ex animo amante prolatæ : Laudetur, ametur, & glorificetur venerandum & amabile Cor mei Domini JESU. Hæc est mea voluntas. Hanc renovari, & ad memoriam Tibi, singulis pulsibus mei cordis, tanquam pactis inter nos signis renovari cupio : ita ut cor meum nullo diei, aut noctis momento desistat Te amare & glorificare. Peto igitur quâ possum cum humilitate, per tenerum amorem Virgineæ Matris tuæ, ut hunc tenuem amorem ac laudem meam, quam Tibi semper exhibere

con-

constitui, pro tua clementia & bonitate acceptare digneris. Amen.

Hæc oratiuncula posset minimum quolibet die Veneris repeti: Cæteris verò diebus non eslet opus integrum renovare, sed sufficeret breviter elevare mentem in Deum, & uno pio suspirio dicere:

O Divinum Cor JESU! habeo ratum & fixum, quod semel conclusi.

Vel

O Cor JESU! laudo & amo Te ex toto Corde meo, sicut Te inter & me pactum est.

Vel :

O Cor JESU! initum inter nos pactum semper inviolabile perseverabit.

Adhuc alijs affectus erga Cor JESU.

O Amabile & vulneratum Cor JESU! oro Te per tuum amorem, ut animam meam in Te introire permittas: & sicut nullum a Te peccatorem excludis, ita mihi

O 3

parvu-

parvulum in Te locum concedas. Et si quidem ô JEsu ex hoc domicilio gratiarum exclusum me velles , nunquam ab eo recederem , sed perseverarem ad ostium , & usque eò pulsarem , donec vel in hac , vel in altera vita mihi aperires. Sed cui unquam tuæ miserationes defuerunt, quæ perpetim ex illo tuo Corde profluunt, & superabundant ? ô suscipe , absconde , & include Cor meum in tuo Corde, dulcissime JEsu ! Saucia illud spiculis tui amoris ; purifica illud balneo tui sanguinis : illumina illud tuæ sapientiæ radiis : reple illud spiritu tuæ voluntatis : fac illud tam magnanimum , ut totum mundum pro nihilo ducat: tam generosum, ut omnia caduca despiciat : tam forte, ut omnia adversa sustineat; tam pium, ut semper cœlestem beatitudinem cogitet, & suspiret. Postremò tribue mihi Cor , secundùm Cor tuum; & tam in tempore ,
 quām

quam æternitate exultans cantabo : Cor
JESU ! Tu centrum mei cordis es, & pars
mea in æternum, Amen.

CONSIDERATIO
DE CORDE JESU,
FACIENDA ANTE PRIMUM DIEM
VENERIS, IN QUOLIBET MENSE, PRO DIS-
POSITIONE AD SACRAM COMMUNIONEM.

Accedens ad oratorium tuum, cogita
te videre Dominum JESUM, qui suum
Cor teneat in manu, ac tibi offerat, & vi-
cissim Cor tuum à te petat, his verbis : *Prov.*
23. 26. Præbe fili mi cor tuum mihi.
Quanta hæc gratia est, quanta bonitas sum-
mi DEI nostri ! Dominus cum Servo, Deus
cum homine, Creator cum creatura, para-
tus est tantam amicitiam contrahere , ut
etiam velit proprium suum Cor cum illius
Corde permutare.

I. Et

I.

Et illud quidem toties in Venerabili Sacramento jam dedit : an illud dignè suscepimus ? an ei cor nostrum pro suo Corde reddidimus ? Heu quoties, cùm propositum sumendæ Sacræ Communionis feceramus , & inspirationem eandem sumendi sentiremus, tamen ex mala voluntate ulterius peccandi eam negleximus , & benedictum Cor ejus recipere noluimus ! Heu quoties, cùm tandem ad communionem accessimus , corpore & animâ non satis à peccatorum Sordibus expurgatâ, nauseam fecimus Divino Cordi ejus ! heu quoties statim à communione ad priora peccata redeundo , Cor ejus iterum cum ignominia à nobis expulimus !

Non amplius fiet , ô Domine JESU : non amplius. Ego quidem non mereor, ut me in ultimum tuum servum recipias, multò

multò minùs, ut facias talem amicum, cui
proprium Cor dones, & in pectus reponas:
ex fiducia tamen infinitæ bonitatis tuæ au-
debo accedere. Ecce me! veniam Domi-
ne, veniam posthac frequentius, & Divi-
nissimum tuum Cor in Sacramento reci-
piam. Doleo ex toto corde meo, quòd
donationem tui amabilissimi Cordis tam sæ-
pè respuerim. Doleo ex toto corde meo,
quòd aliquando mundissimum tuum Cor
immundâ conscientiâ receperim. Doleo
ex toto corde meo, quòd redeundo ad oc-
casiones peccandi, & in priora peccata re-
labendo, illud ex pectore meo tam ignomi-
niosè repulerim. Doleo de hac negligen-
tiâ, indignitate, & malitiâ meâ. Ignosce
dolenti, parce poenitenti. Audebo mi
Deus, audebo in crastina communione,
quamvis indignus, redire ad Te, Tu velis
etiam non invitus redire ad me. Da gra-

P

tiam

tiam & auxilium , ut integra confessione
peccatorum omnium, veraque contritione
& amore tui perfecto me præparem, & ad
recipiendum dignè Cor tuum disponam.

II.

Sed quomodo poterit cor nostrum
amanti nos Domino JEsu placere , ut ilud
acceptet, & pro illo Cor suum nobis redon-
net ? si conemur cor nostrum ipsius cordi
simillimum facere. Quām humile est cor
ejus, quod terrea , lutea , & vilia corda no-
stra non respuat ! & hæc ipsa lutea corda
stræ quām sæpe sunt superba , inflata , mil-
erosque & pauperes proximos despicientia ?
quām mansuetum & mite est Cor ejus,
quod ingratitudinem , irreverentiam , aliós-
que defectus nostros , tanta cum placidita-
te patiatur ! & nostra corda omni genere
defectuum plena , quām sæpe irascuntur ,
fero-

ferociunt, & tumultuantur ad aliquos leves
defectus proximorum nostrorum ? Quàm
Spirituale & mundum est cor ejus, quod
ignem carnalitatis suo sanguine in cordibus
nostris extinguere , munditiémque Divi-
nam suâ carne in Sacramento in iis implan-
tare desideret ! & hæc ipsa carnalia immun-
dáque corda nostra, quàm tenaciter sæpe
immunditiis suis & carnalibus appetitioni-
bus adhærent ?

Non fiet amplius , humillime , mitif-
sime , & mundissime JEsu. Non amplius
fiet â me : utinam non fiat amplius ab ullo
homine in toto orbe terrarum. Ego qui-
dem agnoscō superbū , immīte , & im-
mundū cor meū , & consortio tui hu-
milis, mansueti, & mundi cordis indignū :
Sed vide, & accipe pium desiderium meū.
Cupio imitari humilitatem tui Cordis, &
verò etiam debo. Quid enim ego sum,

nisi terra, & lutum, ex quo me tua potentia
creavit? quid ego sum in corpore meo, nisi
congeries infirmitatum, nisi officina mor-
borum; nisi spolium mortis? quid ego sum
in anima, nisi seminarium passionum, nisi
sentina vitiorum, nisi multiplicium pecca-
torum abyssus? ô Domine, non sum di-
gnus, qui assistam divino conspectui tuo,
& loquar ad Te: non sum dignus, qui alti-
tudinem cœli conspiciam, & terram meis
pedibus calcem: non sum dignus, qui vi-
vam inter homines, & sim in numero crea-
turarum tuarum. Cupio imitari mansue-
tudinem tui Cordis, & debeo. Cui enim
potero irasci ob levem defectum erga me
commissum, cum Tu innumerabiles meos
defectus tam leniter, & longanimè feras?
cui ego potero mortem, dæmonem, aliá-
que mala imprecari; cum tu mihi gratiam
tuam, & innumera beneficia impertiri nun-
quam

quam intermittas ? Cupio imitari mundi-
tiem , & spiritualitatem cordis tui , & de-
beo . Quâ enim fronte audebo apparere
ante oculos tuos , & amicitiam tuam spe-
rare , nisi carnalium appetitionum sordes
abiiciam , & omnimodam mentis puritatem
procurem , sempérque spiritualia carnalibus
anteponam ? Cum his desideriis in crafina
communione veniam ad Te : Tu velis , dul-
cissime JESU , cum gratia , & auxilio tuo ve-
nire ad me ; ut , quod desidero , possim re-
ipsa præstare , & in corde meo dignum tuo
Cordi hospitium exhibere .

III.

Super omnia autem , ut inter Deum
& hominem permutatio cordium fiat , ne-
cessarius est mutuus amor , & ferventissi-
ma charitas . Cor JESU in Sacramento est

merus ignis, corda nostra inflammare desiderans: & corda nostra mera sunt glacies, flamas illas suo frigore extinguentia: Cor IESu in Sacramento colliquecit in guttas dulcedinis intimæ, in corda nostra tanquam in spongias se insinuare desiderans: & corda nostra sæpe in silices & insensibiles petras durantur, fluentemque illam dulcedinem in se recipere nolunt. Cor IESu in Sacramento est affectuolum glutinum, se cum cordibus nostris unire desiderans: & corda nostra amore cum creaturis conglutinata sunt, conglutinationem cum Deo refugientia.

Non ita cor meum posthac, ô Domine IESu: non ita posthac. Amo Te: & semper amabo ex toto corde meo, & illud in odoriferum Cinnamomi & Balsami lignum tibi offero, ut accendatur ab igne tui Cordis

dis, & velut holocaustum perpetuum concremetur. Amo Te Domine JESU, & semper amabo ex toto corde meo, & illud instar aridæ & sitientis spongiæ tibi offero, ut imbibat guttas dulcissimæ suavitatis tuæ, in iisque solis posthac delicias suas quærat. Amo Te Domine JESU, & semper amabo ex toto corde meo, ut illud indissolubili glutino tibi uniatur, & nullo creaturarum amore, nullis adversis hostium infernalium machinis unquam à Te avellatur. Sic amo Te Domine JESU, & semper amabo. Dona igitur mihi Cor tuum, & vicissim accipe cor meum. Non volo habere aliud cor, nisi tuum cor; nec alio in loco debet habitare cor meum, nisi in pectore tuo. Ibi est mea securitas, mea quies, meum gaudium, meæ deliciæ. Ibi te brachiis sancti amoris amplexabor. Ibi gratiarum actionem & laudem perpetuam Tibi cantabo.

Ibi

Ibi vivam, dum spiro, ibique postremum
halitum emittam, ut anima mea per vul-
nus tui Cordis quasi per apertum mihi
ostium ingrediatur ad Thronum gloriæ tuæ
in cœlis. Amen.

*Omnia ad majorem JESU Christi &
Sanctissimi ejus Cordis gloriam.*





postremum
nea per vul-
ertum mihi
n gloria tuae


Christi &
loriam.

P.W.H.

O. W. H. G. No 110.







TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



© The Tiffen Company, 2007

